

2152. VORLÄUFIGER ARBEITSTITEL: REZENSION VON PIERRE SYLVAIN REGIS,
COURS ENTIER DE PHILOSOPHIE

Vorläufige Datierung: [Januar bis Februar 1692]

Überlieferung:

5 *E Acta Eruditorum*, März 1692, S. 135–144, u. April 1692, S. 179–186.

bearbeitet von Hanns-Peter Neumann

[Anhaltspunkte zur Datierung:] Leibniz' Rezension zu Pierre Sylvain Régis' *Cours entier de philosophie ou système général selon les principes de M. Descartes, contenant la Logique, la Métaphysique, la Physique, et la Morale* (3 Bde, Amsterdam 1691; nach dem Pariser Druck *Système de philosophie* von 1690) erschien
10 1692 in der März- und April-Ausgabe der *Acta Eruditorum*. Otto Mencke hatte Leibniz in seinem Brief vom 7. Juli 1691 auf das bevorstehende Erscheinen des Amsterdamer Drucks des *Cours* hingewiesen und ihn gebeten, er möge doch »eine exacte relation ad Acta« verfassen, sobald er ein Exemplar erhalten habe (I, 6 N. 319). Wie schließlich aus Menckes Schreiben vom 12. Januar 1692 hervorgeht, hat Leibniz ihm zu diesem Zeitpunkt bereits einen ersten Auszug geschickt (I, 7 N. 284). Unser Stück ist also von Januar bis
15 Februar 1692 entstanden. – Was die Kursivierungen in unserem Stück betrifft, so folgen wir hierin den Vorgaben der *Acta Eruditorum*.

[Thematische Stichworte:] Cours de philosophie; Logica; Metaphysica; Physica; medicina; doctrina de homine; philosophia moralis; Leib-Seele-Verhältnis

[Einleitung:] —

20 *Cours Entier De Philosophie etc.*
Cursus integer philosophicus, sive Systema generale secundum Principia Cartesii, continens Doctrinam Logicam, Metaphysicam, Physicam, et Moralem. Autore Petro Sylvano Regis.

25 *Amstelodami ad exemplar Parisinum apud Hugetanos, 1691. in 4. Tomi III. Alph. 10. plag. 10. cum figuris aeneis.*

In Praefatione clarissimus Autor ait, sese jam decem et amplius abhinc annis opus hoc suum fuisse editurum, nisi fortuna vel invidia obstitisset. Excitatum sese ad hunc laborem, quod nullum Philosophiae (Cartesianam intelligit) Systema completum et consentiens extaret. Logicae putat ultra ea, quae habentur in Autore *Artis Cogitandi*, vix posse aliquid addi;
30 caeteras Philosophiae partes augeri posse. Partitionem Operis in Praefatione tradit. Praemittit Dissertationem de Philosophia, qua Historiam ejus quandam compendio tradit, in reprehendis veteribus paulo fortasse severior. *Thaletem* ait omnia animata credidisse; sed nihil esse

facilius hoc philosophandi genere, quod omnes difficultates ad rei animam referat. *Pythagoricorum* silentium ipsi ridiculum videtur, obscuritasque in docendo indigna Philosophis; etsi censeant alii, *Pythagoram* arcaniora quaedam non temere spargenda putasse. *Platonem* docuisse nihil sciri, dum omnia ad simplices ideas qualitatibus nudatas retulerit; Mundum animatum credidisse, quia mundo nihil excellentius, debili, ut putat, argumento. *Aristotelis* 5
Logicam et *Ethicam* laudat; *Physicam* spernit: tametsi videtur *Cartesius* potissimum *Aristotelis* de continuo et pleno sententias secutus, ut in caeteris *Democriti*. *Stoicos* Autor parvi facit, etsi *Ethica Cartesii* tota videri possit *Stoica*. *Epicurum* prae caeteris laudat; *Democriti* ne meminit quidem; *Scholasticos* paucis attingit. *Galilaeum* ut *Philosophiae* repurgatorem primo loco ponit, qui pro egregiis inventis id pretii tulerit, ut quinque vel sex annis in carceribus Inqui- 10
sitionis haberetur, et ad abjurandum *Systema Copernici* cogereetur. *Gassendum* deinde ex merito laudat; postremo in *Cartesio* conquiescit, sub finem tamen monens, aequae inconsultum fore *Cartesio* aut veteribus nimium tribuere. *Baconum*, *Gilbertum* et *Keplerum*, qui multum contulere ad emendationem philosophiae, plane praeterit.

In *Logica* explicat quatuor operationes mentis: percipere, judicare, ratiocinari, ordinare seu 15
methodo uti. Perceptiones seu ideas putat claras esse in se, non claras semper, si referantur ad objecta. Loco decem Praedicamentorum recentiores reducere ait ideas ad Classes septem; Cogitationem, Extensionem, Magnitudinem, Figuram, Motum, Quietem, Situm. Observat, in terminis compositis epitheta esse vel explicationes, vel determinationes: e.g. si dicam, *Lutetia metropolis Galliae*, erit explicatio; sin dicam, *Homo sapiens*, erit determinatio vel restrictio. 20
Propositionem tunc esse axioma, cum ad hujus veritatem cognoscendam, solam subjecti ideam mediocri attentione considerare opus est; sin alia praeterea idea sit assumenda, opus esse demonstratione. Asserit res non esse dividendas in substantias et accidentia, sed in substantias et modos. Regulas Syllogisticas omittit, velut non magni usus in Praxi. Methodum dividit in eam, qua nos docemus, et qua alios. Illam esse *Analysin*, hanc *Synthesin* arbitratur; illam 25
comparat *Progonologiae*, hanc *Genealogiae*. Regulas utriusque tradit ex *Cartesio*, et Autore *Artis cogitandi*. Parte quarta *Logicae* cap. 6, tradit aliqua indicia, quibus cognoscatur utrum aliqua idea sit vere, an apparenter clara. Notat ideas simplices semper esse reales; sed complexas esse vel reales, vel non reales; et has posse vel falsas esse, vel chimaericas, vel inventitias. Falsas esse, quae falsum iudicium involvunt, ut cum calorem concipimus velut 30
rerum qualitatem, cum tamen (ex *Cartesianorum* sententia scilicet) sit in nobis; chimaericas esse, cum conjunguntur incompatibilia; inventitias denique esse, ut universalialia, abstracta. Supersunt tamen de ideis multo profundiora, et majoris momenti, ad quae introductionis loco esse possit G. G. L. *Schediasma de veris et falsis ideis* in his Actis A. 1684. editum. Praejudicia ad haec capita reducit: magistros,¹ opinionem plerorumque vel potiorum, consuetudinem, 35

¹ *Am Rand*: p. 537. 540.

34 G. G. L. ... 1684: vgl. LEIBNIZ, *Meditationes de cognitione, veritate et ideis*, in *Acta Eruditorum*, November 1684, S. 537–542 (VI, 4 N. 141, S. 585–592).

praesertim quae est inde ab infantia, suppositionem principii incerti, amorem novitatis. Quaestionum has quinque species ponit: quaerere quid sit res; quae ejus causa; quis effectus; cui toti res insit tanquam pars; quaenam pars alia insit eidem toti cui res data inest. Sophismatum capita ex *Aristotele* enumerat.

5 *Metaphysicam* ait tractare non tam de veritatibus abstractis, ut vulgo credant Philosophi, quam de substantiis a materia separatis, seu de spiritibus: itaque *Metaphysica* ipsi est, quae non paucis Philosophis appellatur *Pneumatica*, ut adeo de nomine tantum lis sit. Putat Geometras didicisse sua a *Metaphysicis*, ex eo principio, quod quicquid clare percipitur, sit verum. Primum nos cognoscere ex cogitationibus nostris, quod existamus. Axiomatibus istis utitur:

10 Nihili nullae sunt proprietates: Omnis effectus praesupponit causam: Effectus non plus habet perfectionis, quam a causa recepit: Unumquodque quantum in ipso est, persistit in suo statu, seu, Omnis mutatio² procedit a causa externa. Putat eos loqui exactius qui dicunt, *Ego sum cogitatio*, quam qui dicunt, *Ego sum substantia cogitans*. Sic et per sensationes ait sese intelligere cogitationes, quae repraesentant ea, quae sunt in nobis; per ideas autem vel per-

15 ceptiones repraesentari ea quae³ sunt extra nos. Caeterum haec axiomata addit prioribus: Modus omnis praesupponit substantiam in qua existat: Modus non potest transferri ab una substantia in aliam: Quicquid existit substantia est, aut modus: Essentiae rerum sunt indivisibiles: Privationes et negationes cognoscuntur per realitates oppositas. Existentiam corporis⁴ ita probare conatur: Extensionis ideam habeo, ejus autem ideae in me non habeo causam: Ergo

20 causam oportet esse extra me, quae non alia est quam corpus. Et si quis objiceret, substantiam aliquam superiorem (veluti Deum) ingenerare nobis posse talem ideam; respondet, substantiam illam, quantumcunque perfectam, non posse efficere, ut idea extensionis mihi potius repraesentet extensionem quam aliud, nisi existat ipsa extensio. Si quis objiciat palatia fictitia, quae concipiuntur, etsi non existant; distinguit inter ideas simplices et compositas: putat enim

25 compositas formari arbitrio nostro, simplices non item. Atque haec Autori occasionem praebent talia ponendi axiomata: Res non cognoscitur, nisi per ideam: Omnis idea dependet ab objecto, tanquam causa exemplari: Causa exemplaris continet formaliter perfectiones ab idea repraesentatas. Ens summe perfectum existere, concludit ex eo, quod non cognoscamus rerum imperfectiones, nisi ex idea entis perfectissimi. Hanc autem ideam habere causam exemplarem

30 seu objectivam, id est Ens summe perfectum. Substantiam extensam Autor putat esse essentialiter imperfectam, sed non substantiam cogitantem, itaque et DEUM cogitare. Supponit scilicet extensionem omnem esse divisibilem et mobilem. Ex immutabilitate Dei ita deducit

² *Am Rand*: p. 71.

³ *Am Rand*: p. 74.

35 ⁴ *Am Rand*: p. 75.

substantiarum durationem: DEUM semper velle, quod vult immediate; velle autem immediate substantias, sed mediate modos, et proinde modos substantiarum esse mutabiles. Statuit,⁵ Deum ante determinationem voluntatis tantum suam essentiam videre, et ita ipsas veritates et possibilitates pendere a divina voluntate. Negat Deo voluntates, generalem et particularem, antecedentem et consequentem. Duplicem interim in Deo facit potentiam, ordinariam et 5 extraordinariam. Demonstrationes suas existentiae sui (seu animae), corporis, et Dei sub brevi conspectu exhibet. Tempus⁶ ait attribuendum non esse substantiis, etiam creatis, sed tantum modis. Appellationem causarum occasionalium respectu DEI rejicit. Pergit⁷ inde ad unionem animae et corporis, statuitque nihil aliud esse Animam abstractivam, ut loquitur, sumtam, quam ipsam unionem Spiritus et corporis. Unionem hanc non putat aliter explicari posse, quam quod 10 Deus velit actiones vel passiones unius respondere actionibus vel passionibus alterius. Axioma⁸ statuit: Quae diversi testantur, qui inter se conspirare non potuerunt, ea sunt vera; et huic inniti historiam et revelationem. Ubi digreditur ad veritatem Scripturae sacrae et religionis Christianae confirmandam, et quaedam dogmata de Anima ex *Augustino* illustrat. Postea explicat animae facultates, et quidem intellectum facit facultatem cognoscendi, voluntatem 15 vero facultatem se determinandi. Intellectus esse concipere spiritualia, imaginari corporalia, sentire ex unione Spiritus et corporis resultantia; reminisci horum omnium; et cum his conjunctos habere motus particulares spirituum animalium, quod proprium est passionum. Anima tamen (*Autori*) cognoscit extensionem in genere per se ipsam; credit se non reminisci, sed sentire, quando tam validus est motus fibris intus impressus, ut ad extremitates exteriores 20 pertingat; imaginatur per compositionem (cum jungit ideas diversas) per augmentationem vel diminutionem, cum ex homine communi facit gigantem vel pygmaeum; denique per accommodationem, ut cum spiritum concipit tanquam ventum subtilem. Disputat deinde contra Autorem libri *de Inquirenda veritate*, statuitque animam melius se ipsam cognoscere, quam extensionem; nec animam corpora in Deo videre, nec Deum esse animae unitum. Ideam DEI 25 agnoscit esse finitam, et tamen repraesentare infinitum. Ab intellectu transgressus *Autor* ad voluntatem, huic tribuit facultatem affirmandi et negandi, quod scilicet ad hoc sit opus determinatione. Quia tamen proprie solus Deus agat, caetera sint ejus instrumenta; hinc actiones voluntatis revera esse passiones respectu Dei, etsi quodammodo ab anima dependeant respectu ejus idearum, et eatenus actiones recte dicantur comparatione passionum,⁹ quae dependent ab 30

⁵ *Am Rand*: p. 90.

⁶ *Am Rand*: p. 108.

⁷ *Am Rand*: p. 113.

⁸ *Am Rand*: p. 136.

⁹ *Am Rand*: p. 206.

²⁴ Autorem ... *veritate*: N. MALEBRANCHE [anonym], *De la recherche de la verité*, 4. verb. u. verm. Ausg., 3 Bde, Paris 1678–1679.

objectis. Cum autem voluntati omnem affirmationem et negationem adscribat, dividit voluntatem in intelligentiam (circa per se nota), rationem (circa conclusiones necessarias), iudicium (circa veritates contingentes), voluntatem proprie dictam (quoad facultatem coniungendi se aut separandi cum his, quae habent relationes convenientiae aut inconvenientiae necessarias cum anima); liberum arbitrium (quoad facultatem se coniungendi aut separandi respectu rerum, relationes convenientiae aut disconvenientiae contingentes nobiscum habentium). Concludit ex his facultatibus tantummodo iudicium et liberum arbitrium cum indifferentia agere. Anima secundum ipsum¹⁰ bene utitur libertate, cum determinatur per ideas rei proprias; male cum per alienas. Libertatem divinam longe alterius esse naturae statuit, etsi enim agat necessario, agere tamen sine coactione; quia non ab externo, sed a se solo determinetur. Et deinde refutat Autorem¹¹ libri de *Inquirenda veritate*, qui statuerat voluptatem semper esse bonum, et secum actualem felicitatem afferre durante fruitione, etsi¹² recusanda saepe sit, ob maiora mala quae secum trahit. Statuit, cum¹³ Adamus ante peccatum perfectior fuerit, quam nos sumus; consequens esse, ut vel exemptus fuerit a legibus naturae, vel leges naturae anteriores per peccatum fuerint mutatae: hominem enim salvis praesentibus¹⁴ naturae legibus non posse esse perfectiorem quam nunc est: et in ea est persuasione, si quis infidelis falsis rationibus ad ea, quae Christiani docent, credenda inducatur, non ideo fore fidelem. Haec de Logica et Metaphysica, (multa enim studio a nobis praeterita non dissimulamus) suffecerint, ex quibus patet, Auctorem a communibus loquendi modis non raro recedere, et indulgere opinionibus, quas nos aliorum censurae merito relinquimus.

Sed nunc ad *Physicam* transeamus. Lib. I tractat de natura corporis et motus. Corpus ait esse vel physicum ut mages, vel mechanicum ut horologium, vel mathematicum ut cubus. Nihil tamen aliud in corpore agnoscit, quam extensionem, aut ejus modos; unde putat vacuum nec a Deo produci posse, et mundum esse actu immensum. Motus ipsi est applicatio successiva activa superficiei corporis, ad superficies diversorum corporum immediate tangentium. Activam vult applicationem, quia et quiescens, ut turris, successive applicatur diversis partibus aëris vento flante; sed ea applicatio est passiva. Itaque si piscis in medio flumine ex opposito ejusdem ripae locum tueatur, necesse est, eum revera moveri. Contra si navis ob conflictum venti vela inflantis, et fluminis adversi eodem loco respectu ripae maneat, quiescit, quia abest actio ipsius; nam vis agens extranea est. Si quid in aqua eadem, qua ipsa aqua fluit, celeritate

¹⁰ *Am Rand*: p. 224.

¹¹ *Am Rand*: p. 244.

¹² *Am Rand*: p. 263.

¹³ *Am Rand*: p. 264.

¹⁴ *Am Rand*: p. 260.

nata (ut lignum), et ita semper ab iisdem ambiatur aquae partibus, secundum definitionem *Autoris*, ipsomet agnoscente, quiescet. Etsi¹⁵ enim totum ex aqua et ligno compositum moveatur, vult tamen proprii motus solius rationem haberi, cum de ligno quaeritur, qui, secundum *Autorem*, ex ambientibus proximis mutatis et simul ipsius actione debet aestimari. Rejjicit ergo mutationem situs, respectu corporum remotorum, quae ut immobilia spectantur, contra ipsius *Cartesii* sententiam; hanc enim relationem non nisi extrinsecam esse. Causam motricem materiae statuit esse Deum, et vim motricem esse voluntatem Dei; quae cum sit immutabilis, etiam vim eandem manere. Ad quietem etiam vi opus est, ut patet exemplo navis inter cursum aquae et motum venti suspensae. Interim vis motrix est in corpore moto, sed extra quiescens. Et quia obiici potest, si vis motrix fit voluntas Dei, non magis eam intra vel extra corpus motum aut quiescens esse, vult tamen Autor Deum in moto mutationem velle directe et per se; in quiescente per accidens. Addit tamen alibi,¹⁶ corpus quiescens non minus agere quam motum, nec conferre nisi sua impenetrabilitate,¹⁷ qua vim motricem a Deo adhibitam determinat: solere tamen motis plus actionis tribui, dum vis motrix velut in ipsis spectetur. Postremo generalia motus tribuenda esse causae primae; specialia secundis, a quarum statu pendent. Statuit omne corpus minimo quovis conatu posse dividi, nisi externa vi in contrariam partem agente retineretur. Vim¹⁸ motricem (ut solent *Cartesiani*) aestimat per quantitatem motus, creditque, si corporis A, velocitatem habentis graduum 2, vis aequaliter dividenda sit inter corpora aequalia A et B, tunc celeritatem eorum fore gradus unius. Ubi notamus obiter, Dn. G. G. L. demonstrare non ita pridem aggressum, rem aliter se habere, et celeritatem ipsorum fore ut radicem quadratam de 2. Refutat eos, qui putant vim magis agere in resistentia, et ideo ictum globi tormentarii esse fortiolem in murum, quam in lanam, nec considerant globum ideo plus perdere virium in lana, quia ea facilius motum recipit. Statuit¹⁹ corpus motum aequale, duplum, triplum etc. incurrens in quiescens, dare ei partem suae velocitatis dimidiam, tertiam, quartam etc. Contra²⁰ *Perraltum* disputat, motum rectum esse magis naturalem circulari. In tradenda corporum percussione *Hobbium* potius, *Borellum*, aliosque recentiores, quam *Cartesium* sequitur; sed rationem non reddit, cur percussiones sint ut celeritates respectivae, quibus corpora sibi accedunt, adeoque cur corpus quiescens A, non minus

¹⁵ *Am Rand*: p. 360.

¹⁶ *Am Rand*: p. 311.

¹⁷ *Am Rand*: p. 309.

¹⁸ *Am Rand*: p. 320.

¹⁹ *Am Rand*: p. 333.

²⁰ *Am Rand*: p. 340.

20 G. G. L.: vgl. LEIBNIZ, *Brevis demonstratio erroris memorabilis Cartesii*, in *Acta Eruditorum*, März 1686, S. 161–163 (VI, 4 N. 369).

percutiat corpus B, veniens celeritate ut 2, quam si ambo sibi occurrerent celeritate ut 1. Notat quoque determinationem motus semper reflexione mutari in contrariam. Negat tamen reflexionem oriri a sola vi elastica, idque eo argumento, quod pila inflata pavimento appressa non tantum resiliat, quantum projecta in pavimentum; quo argumento usus etiam est *Bernerius*: sed
 5 observatum aliis est, si apprimens tam subito removeri queat, ut resiliationem pilae nulla ratione impediatur, nihil interesse quoad resiliationem, utrum appressa sit pila ab apprimente, an a proprio impetu, projectione accepto. De refractione corporum²¹ in aquam oblique impingentium molitur aliquid novi, considerans post dissertationes a *Baylio* Tolosae editas (quarum citat *Dissert. V. Artic. 6.*) corpus velut globum, non totum simul immergi; ipsam tamen quantitatem
 10 refractionis non videtur satis determinare. Tametsi²² dicat, et probatione in speciem demonstrationis adornata ostendere contendat, angulum, quo corpus resistentiam inveniens deflectitur a linea, esse ut resistentiae gradum. Illud²³ bene notat, corpora mollia in concursu partem virium amittere, quia in partes eorum transferatur, motumque ipsis pro communi faciat proprium. Corpora quoque specie graviora esse statuit, quae in aequali spatio plus habent materiae
 15 propriae. (Unde infra, Tom. 2. p. 133 observat post *Cartesium*, grave non nisi ea parte secundi elementi premi, quae ipso descendente potest ascendere.) Specialia quidem tradit de legibus motus corporum elasticorum concurrentium, sed ea praeterire placet, quod non satis statumina videantur: ut cum demonstrasse asserit, duobus corporibus elasticis aequalibus et ejusdem materiae concurrentibus, velocitate inaequali, velocius tardiori dare dimidium excessus
 20 velocitatis; atque ita, si corpus A velocitate ut 6, et corpus B ipsi aequale, velocitate ut 2 concurrant, post concursum ambo itura ad partes, ad quas pendebat A, velocitate ut 4; quae locum non habere aliqui existimant. Verum autem omnino est, corpus elasticum elastico aequali et homogeneo quiescenti totam suam velocitatem dare; idque eo exactius, quo corpus est magis elasticum. Unde observat, globum ex ligno nucis arboris transferre velocitates ut $\frac{25}{30}$
 25 sed globum ex ebore $\frac{28}{30}$. Disputat²⁴ deinde contra modum, quo *Mariottus* translationem totius velocitatis a moto in quiescens aequale explicat. De corporum duorum similium, sed inaequalium, motu in medio quaedam exhibet ex problematis *Baylii*.

Libro Secundo Physicae agit de Universo, tanquam aggregato corporum, quae Noster ut entia modalia seu materiae modificationes considerat. Modos autem substantiarum ait (praef. Lib. 2) non posse nisi mediate a Deo proficisci. Vorticum materiae originem ex eo deducit, quod corpora varie mota, continue ab occurrentibus detorta, a sua determinatione tandem ivere in orbem, idque adhibita figura eleganter explicat. Tria cum *Cartesio*²⁵ statuit Elementa,

²¹ *Am Rand*: p. 358.

²² *Am Rand*: p. 367.

35 ²³ *Am Rand*: p. 369.

²⁴ *Am Rand*: p. 375.

²⁵ *Am Rand*: p. 399. 400.

materiam subtilem ex corporibus tornatis natam; globos tornatos motu, et corpora irregularia, quae inter se cohaesere, tornari dissiparique nescia. Haec Noster vocat Ignem, Aerem, Terram; atque porro vortices, fixas, cometas, planetas inde *Cartesiano* more deducit. *Cartesii*²⁶ modum explicandi gravitatem contra *Bernerii* et *Varignonii* sententias novas tuetur. Refutat etiam, quae *Rohaltus*, *Gadrosius*, et *Perraltus* a *Cartesio* ea in re diversa dixere.²⁷ Inprimis *Varignonio* respondetur, qui objecerat non tantum motus Terrae circa suum centrum, sed et circa Solem rationem habendam: Cui Autor respondet, motum circa Solem, cum ipsi terrae centro sit communis, nihil variare accessum aut recessum respectu centri. Negat autem accelerationem gravium²⁸ descendentium esse revera uniformem, quia scilicet minus imprimatur impetus novi, quo magis accedat ad terram, (quod quidem, nisi in magnis descensibus sensibile non est), et corporis, quod jam est in motu, minus recipiat impressionis, quam quod quiescit. (Sed et huic difficultati jam responsum est, motum acquisitum incomparabiliter minorem esse celeritate impellentis, ut alia taceamus.) *Autor* autem non satis sententiam exponit ad mentem Geometrarum. Quae res effecisse videtur, ut non semper exacte sua constituat, cum novi aliquid molitur: tametsi saepe peringeniosa habeat cogitata.²⁹ Ostendere etiam nititur, corpora versus Polos graviora esse, quam sub Aequatore, ut rationem ejus reddat, quod deprehensum est pendulum, quod Parisiis horae spatio facit vibrationes 3600 (scil. quod est 3 pedum, $8\frac{1}{2}$ linearum) aliquot lineis brevius fieri debere in Insula Cayana, quae est 5 graduum latitudinis septentrionalis, ut ibi totidem in hora vibrationes absolvat. Atque haec quidem ex Tomo primo. De duobus reliquis, ne in nimiam molem relatio excrescat, proximo mense dicemus[.]

Cours Entier De Philosophie etc. i.e. Systema generale Philosophiae secundum principia Cartesii: Autore Petro Sylvano Regis. Tomi III. Amstel. 1691. in 4.

De primo Operis hujus Tomo in Actis proximi mensis *Martii pag. 135.* et seqq. diximus. Nunc reliquos duos perlustrabimus. *SECUNDUM* incipit liber tertius Physicae, quo postquam obvia passim quaedam de rebus coelestibus Autor doctissimus tradidisset, transit libro 4. ad Terram, quam docet ob massam, quae pro ratione voluminis minus materiae propriae, adeoque et minus motus habet, contrudi versus centrum; et interiorem esse elementarem ac minus mutabilem, exteriorem vero facilius a subtili materia agitari. Ubi ex poris terrae interioris variis varia fluida deducit. Nam materiam subtilem in poris terrae quodammodo figi. Hos

²⁶ *Am Rand:* p. 439, 440.

²⁷ *Am Rand:* p. 442. 443. 444.

²⁸ *Am Rand:* p. 463.

²⁹ *Am Rand:* p. 475.

poros dividit in quatuor genera: esse enim undulatos, rectos (quorum superficies cava vel polita sit vel aspera) ramosos (seu ex pluribus communicantibus compositos) denique helicales. Materiam, quae figitur in poris undulatis esse aquam, cujus proinde partes (essentiales, ut Autor vocat)³⁰ assimilentur exiguis chordis seu funiculis. Exeuntem ex poro materiam in eo
5 fixam statim comprimi a secundo elemento, nec ita facile rursus dissipari. Fixam autem partem non assimilari toti poro (quippe nimis saepe longo) sed parti ejus arctiori. In ramosis poris fieri aërem; esse autem ejus ramos facile plicatiles ob tenuitatem, et ob interlabentem materiam subtilem: sed et elasticos esse, quia si flectantur rami, eorum pori ab una parte fiant justo ampliores, ab altera justo arctiores; unde quantum ab una parte intrat, ab altera non ita facile
10 exit. Id non ita fieri in aqua, cujus et pori sint ampliores, et spatium magis repletum. Ea³¹ occasione explicat constructionem sclopeti pneumatici. Materiam ramosam, sed magis crassam, minusque ramosam quam aër, constantem tamen ex partibus satis parvis, ut a materia subtili agitari possint, constituit oleum et sulphura. In poris rectis *Autori* fiunt sales, acres in poris intus asperis, acidi in politis. Liquidum vocat, quod per se in omnes partes intestino motu
15 cietur, (talis est materia subtilis;) liquorem vero vocat corpus, quod ita movetur a liquido interfluente, ut aquam, oleum, aërem, et liquores compositos ex his pariter,³² et sale terraque admistis; ex quibus speciminis causa examinat vinum,³³ et postea agit de aequilibrio liquorum. Si in vas plenum uno tubulo pollicari apertum embolum per tubulum adigas pondere librae imposito, pars unaquaeque vasis, quae et ipsa sit latitudinis pollicaris, vim librae patietur, et
20 reliqua proportionem magnitudinis (quod apparet, si in ea parte, quae vim patitur, alium embolum fingamus, cum tali pondere expulsionem impediante). Vide pag. 144. De liquorum motu, atque inde ducto ascensu liquorum in tubis arctis super libellam, *Autor* (post *Rohaltum* ejus observationis inventorem) quaedam habet non spernenda,³⁴ quibus et filtrationes illustrantur. De metallis dubitat, an sint composita ex sulphuribus et salibus, an³⁵ immediate ex materia
25 subtili in terrae poris fixa: putat autem esse corpora dura, quorum partes integrantes sint longae et ramosae, et pro harum varia magnitudine aut subtilitate varia fieri metalla. Atque³⁶ hinc utcunque deducere conatur singulorum metallorum proprietates. Hydrargyrum componit ex partibus integrantibus rotundis, politis, et perforatis magno numero pororum soli materiae subtili perviorum, praeter poros, quos ipsae partes integrantes relinquunt inter se; esseque
30 liquorem non pinguem, sed macrum, quia in guttas coit; humectare metalla potius quam vitrum

³⁰ *Am Rand*: p. 135.

³¹ *Am Rand*: p. 126.

³² *Am Rand*: p. 138.

³³ *Am Rand*: p. 140.

35 ³⁴ *Am Rand*: 156. seqq.

³⁵ *Am Rand*: p. 184.

³⁶ *Am Rand*: p. 196.

et alia, quia ob partium figuras multus aër inter ipsum et id, quod tangit, interlabatur. Mineralium partes esse breviores et minus ramosas, quam metallorum. Dividit ea in sales compositos, sulphura composita, lapides. Sal commune constare ait ex partibus longis, rectis, cylindricis, acuminatis, rigidis.³⁷ Et obiter narrat, quomodo accolae ostii Rhodani aquam fluvii dulcem terris arenosis sale marino impraegnatis immittentes, muriam inde obtineant aqua marina longe salsiorem, ac deinde (ut ad littora oceani) ope Solis et aëris evaporandam. Partes salis petrae magis conicas esse, caeteroqui partibus salis communis similes. Quod si corpuscula valde sint brevia et rami fragiles, putat *Autor* esse partes integrantes lapidum. Grana argillae minora esse et arctius jungi, quam arenae. Ex partibus sabuli ita conjunctis, ut pori maneant recti, fieri crystallum et adamantem; ex ipsis sabuli jam formati granis coementatis lapides arenosos (le Grez.) Exiguos ramos partium lapidis calcarii esse magis acutos et secantes, quam partium lapidis, ex quo fit gypsum. Marmora fieri ex argilla cujus pori impleti sulphuribus. Deinde satis diffuse de Magnete³⁸ (cujus materiam derivat ex poris helicalibus) tractat, omnia fere ad *Cartesii* mentem exponens (nisi quod mavult materiam magneticam in poris terrae formare, quam accersere ex vortice Solis). Addit, si metallum frangas, superficiem abruptam magis dentatam videri,³⁹ mineralis fracti magis planam, quod in corporibus flexibilioribus partes mutuo altera in alterius poros suis prominentiis ingrediantur. Agit deinde de qualitatibus durorum et mollium vel liquidorum communibus, ut calore, flamma, frigore, acido et alcali, aquis fortibus, fermentationibus, vitro ejusque lacrymis, et nonnullis Chymicorum observatis, quae jam *Emericus* ex philosophia corpusculari utcunque explicare tentaverat.

Libro quinto agit de Meteoris, et pag. 358. disputat contra *Perraltum* autorem libri de fontium origine, et *Mariottum*, ex solis fluviis aquas fontium deducentes. Putat enim, aquam pluviam non admodum in terram penetrare, et ex canales allegantibus quaerit, quis eos viderit; non quaesiturus, si a metallorum fossoribus cognovisset, aquam pluviam intra paucos dies ad aliquot centenorum passuum profunditatem in terram penetrare. Nostro *Autori* credibilis videtur, fontes nasci ex aqua marina sub montium radicibus existente atque inde in vapores elevata. Et p. 385. disputat contra *Mariottum*, qui Tr. *de motu aquarum* (p. 50.) observasse sibi visus est, novam Lunam inclinare ad ventum septentrionalem, intra dies tres vel quatuor versus orientem, inde ad austrum, occidentemque deflexum, et cum nova Luna ad septentrionem reversum; dum scilicet Luna tendens ad apogeu, aërem nonnihil attrahat, inter tropicos, unde alius aër a partibus polaribus affluat; et hunc ventum orientali junctum, qui ex motu terrae oritur, efficere ventum inter orientalem et septentrionalem medium,⁴⁰ in medio zonae temperatae septentrionalis. Deinde explicat et illustrat, quae *Edmundus Hallejus* de causis motus

³⁷ *Am Rand*: p. 204.

³⁸ *Am Rand*: p. 220. ad 251.

³⁹ *Am Rand*: p. 253.

⁴⁰ *Am Rand*: p. 391. seq.

ventorum dedit. De maris fluxu et refluxu agens, tradit ex observatis *Coubardi* Professoris Hydrographiae Regii in oppido Brest,⁴¹ maximum fluxum fieri biduo aut triduo a plena vel nova Luna, et plerumque biduo, ni venti obstant. Idem in portu *S. Malo* observavit *Mauvaison* Mathematicus: idemque fere in aliis Oceani Europaei locis notari, Autor ait, sed fluxum
5 maximum magis esse tardum et magnum quo locus est septentrionalior.⁴² Agit et de columnis, et cognata illis specie nubium aquam elevantium, quas Galli Trombas vocant; et citat librum *anonymi* inscriptum:⁴³ *Conjectures physiques sur quelques colonnes de nue*, quem ait exacte rem explicuisse, ex historia duorum ejusmodi meteororum, quorum unum visum Remis Augusto A. 1680, alterum in Provincia Briensi Aug. A. 1687.

10 Libro sexto tractatur de Plantis. Ex *Malpighii*, *Grewii*, aliorumque eruditorum nostri temporis cogitationibus quaedam generalia exhibet, sed paucis; unde liber sextus physicae brevissimus est, a pag. 467. usque ad 502. Septimus librorum agit de Animalibus. Rem Mechanicam animalium illustravere *Borellus* et *Perraltus*. De Anima bestiarum ita judicat in praefat. lib. 7. si quis statuatur, esse in bestiis animam a corpore distinctam et separabilem,
15 fatemur libenter, contrarium a nobis ostendi non posse, quin potius conjecturas innumeras huic sententiae favere, quam nos maxime rationi consentaneam judicaremus,⁴⁴ nisi fides obstare videretur. Statuit autem primam plantam, et prima cujusque speciei animalium paria a DEO ipso esse producta. In natura cerebri et nervorum explicanda, post *Willisium*, *Vieussenii* Neurologiae auctoris novissimi observatis crebro utitur. Lienem ait melius nosci coepisse post
20 *Malpighii* observationes. Et p. 539. ait, se fibras cordis tanquam musculi explicaturum, non tantum ex iis, quae a *Stenonio* et *Lowero* publice, sed et quae sibi ab egregiis Anatomicis sint demonstrata. Inprimis ex *Stenonio*, *Perralto*, *Borello* motum musculorum illustrat; et ex *Swammerdamio* et *Baylio* respirationem. Et ex *Blancardo* (*Anatom. Ref.* p. 206.) observat, diaphragma esse musculum duplicem. Opinionem novissimam circa generationem animalium
25 (observationibus *Leewenhoekii* innixam, qui semina reperit plena animalculorum)⁴⁵ judicat non spernendam, ac refert *Hartsoekerum* (Batavum) jam 17 aut 18 abhinc annis tale quid statuisse, et ad *Malebranchium* perscripsisse; quin et se vidisse tractatum manuscriptum in eandem sententiam ab *Hombergio* Germano (qui et laudatur Tom. 3. p. 292.) compositum, quo reddatur ita probabilis, ut non nisi ob novitatem mira aut extraordinaria nobis amplius videri possit.
30 Caeterum Germina inde ab initio Mundi formata cum quibusdam doctis viris arbitratur: adde Tomi tertii pag. 19. 20. et 27.

⁴¹ *Am Rand*: p. 408.

⁴² *Am Rand*: p. 449.

⁴³ *Am Rand*: p. 451.

35 ⁴⁴ *Am Rand*: p. 632.

⁴⁵ *Am Rand*: p. 642.

Liber VIII Physicae incipit TOMUM TERTIUM, ubi agere se profitetur de Homine, multa tamen et reliquis animalibus communia tractat. In praefatione, eorum sententiam probat, qui putant Animam non producere motus corporis, sed tantum dirigere; neque illos quidem omnes, sed tantum liberos. Atque inter conditiones unionis animae et corporis hanc quoque ponit, ut ex motu corpori conveniente sequatur in anima voluptas, ex contrario dolor; item, ut abundantia spirituum faciat in anima benignitatem, robur audaciam, celeritas diligentiam. De Febribus agens citat *Minoti* tractatum de natura et causis febrium,⁴⁶ qui febrim definit fermentationem extraordinariam in sanguine excitatam, ob materiam admistam, in quam principia sanguinis activa, seu partes spirituosae agunt, ut eam reliquis partibus assimilent. In Paroxysmo febris intermittens durante frigore, juxta *Autorem*, sanguis in venis densior⁴⁷ lentius fertur ad cor; densior autem sanguis fit ex acido extraneo sulphura illigante; sed nitrum aëreum respiratione attractum, sanguinem iterum rarefacit, et acida praecipitat; verum tunc exaltato fermento fortior est fermentatio, unde calor, quo durante sulphura praecipitantur, donec acidis per glandulas cutis excretorias expulsis, sulphura iterum massae sanguineae reddantur. Febrem continuam simplicem esse putat sine coagulatione; malignam cum coagulatione; pestilentialem cum dissolutione sulphurum. Nam et apud Chymicos pinguis acido mediocri figi, a nimio dissolvi. Agit quoque de sensibus, et p. 97. disputat contra singularem *Perralti* opinionem de Tactu, qui putat animam particulis animatis ita peculiariter esse unitam, ut non ex partium, sed particularum discontinuatione dolorem sentiat. De Lumine tractans, notat falsum esse, quod vulgo jactant, ossa, caneros, ostrea pleniora esse plenilunio. Colores primarios seu radicales ita conatur explicare, ut color ruber oriatur,⁴⁹ cum globuli luminis multo plus habent motus circularis quam recti; flavus, cum non adeo major est circularis recto; coeruleus, cum non adeo minor est circularis recto; violaceus denique, cum multo minor est circularis recto. Quia scilicet curvato radio exterior pars curvaturae rubeo-flava; interior violaceo-coerulea est; viridis autem color ex flavo et coeruleo mistis nascitur. Statuit, sulphura crassa et spongiosa lente mota, magnasque adeo umbras admistas habentia, facere colorem rubeum; si minores sint umbrae, mediocrisque adeo illuminatio, oriri flavum, majore scilicet existente sulphurum motu. Hinc ferrum et vitrum summo calore candescere, mox flava, denique rubicunda fieri. Sulphura subtilia, licet spongiosa, tamen colorem coeruleum dare, ob debiles umbras exiguitatemque intervallorum, unde radii minus detorqueantur, adeoque plus motus circularis retineant. Hinc flammam spiritus vini, et superiora flammae candelae coerulei esse coloris. Alumen putat admisceri a tinctoribus, quod vi sua corrosiva superficies panni alteriusve tingendi corporis magis disjungat, et transparentem, atque adeo coloribus aptam reddat.

⁴⁶ *Am Rand*: p. 40.

⁴⁷ *Am Rand*: p. 46.

⁴⁸ *Am Rand*: p. 169.

⁴⁹ *Am Rand*: p. 181.

Caeterum, etsi *Cartesio* adeo visum fuerit, lumen in instanti transmitti, ut in *Epistolis* alicubi dixerit, contrario probato, Physicam suam eversum iri; *Autor* tamen noster fatetur,⁵⁰ lumen exacte loquendo non esse plane instantaneum: hinc negat,⁵¹ quod *Cartesius* statuerat, lumen consistere in conatu globulorum recedendi a centro vorticis; nec aliam causam esse putat, 5 quam quod in omni flamma partes terrestres in materia primi elementi natantes, impellant ambientes globulos elementi secundi. Examinat⁵² porro sententiam *Barrovii* de coloribus, ex *Diario Eruditorum Gallico 19. Novembris 1675*; et putat eadem posse explicare *Cartesianos* modo paulo ante dicto, qui videtur ex *Barrovio* sumtus. Supponit autem *Noster*, non tantum lumen consistere in globulis, sed et colores consistere in rotatione horum globulorum. Licet 10 vero haec concederentur, non ostendit, quomodo umbrae faciant rotationem ad colores necessariam. *Barrovius* videtur rem ad observationes quasdam generales reducere voluisse, sine hypothesi parum stabilita. *Autor* p. 220. pugnat contra *Rohalti* opinionem de corresponso filamentorum duorum nervorum opticorum, ad hoc, ut objectum appareat simplex. Et pag. 244. disputat contra sententiam *Malebranchii*, in libro *de Inquirenda Veritate*, cur Luna horizonti 15 proprior, etsi a nobis remotior sit, oculorum tamen iudicio major appareat, cum tamen mensurata ejus diameter reperiatur minor,⁵³ quam ubi magis elevata est. Centrum ovale facit organon immediatum imaginationis; nervos enim venire ex corporibus striatis, quae veniunt ex media regione centri ovalis; spiritus autem animales formari in substantia cerebri cinerea. Agit deinde de passionibus seu affectibus, ad *Cartesii* fere normam.⁵⁴ Si dolor aliquis necessario 20 ferendus sit, suadet, ut cogitatione ipsi imaginationem assuefaciamus: ita in ipso actu patiendi minus gravem esse futurum.

Post physicam doctrinam de homine, sequitur doctrina *MORALIS*, ea scilicet quae hominem singularem regit: nam scientiam gubernandae Reipublicae *Autor* ait a se Politicis professis relinquere. In praefatione ait, nuperos quosdam Autores (*Malebranchium* et sequaces 25 intelligit) pro Morali nobis Metaphysicam dedisse. Nam ad Metaphysicam pertinere, quod ab iis assertum est, solum DEUM reddere homines felices; solum esse autorem voluptatis et doloris, animaeque sibi unitae innumerabiles voluptates afferre; quicquid in se gerat imaginem Dei, id afferre voluptatem; animas creatas esse ad possidendum DEUM, aliaque id genus. Fieri enim posse putat *Autor* noster, ut qui talia sciat, sua tamen officia ignoret. Videtur autem 30 doctrina ejus moralis habere aliquid ex *Cartesii* et *Hobbesii* placitis mistum. Dividit Moralem in naturalem, civilem, et Christianam. Libro⁵⁵ igitur primo agens de Amore sui seu philautia,

⁵⁰ *Am Rand*: p. 171.

⁵¹ *Am Rand*: p. 158.

⁵² *Am Rand*: p. 205.

35 ⁵³ *Am Rand*: p. 293.

⁵⁴ *Am Rand*: p. 305.

⁵⁵ *Am Rand*: p. 404. 405.

notat, aliarum rerum amores esse tantum species quasdam proprii amoris, quatenus eae nobis convenire videntur. Toties, inquit, nos male amamus, quoties nos amamus in rebus, quae nobis non conveniunt. Itaque et DEUM fontem omnis boni recte amamus, cum amamus ut autorem verorum bonorum, quae ratio talia esse cognovit: amore igitur electionis, non instinctus, amandus est DEUS. Ad DEUM sic amandum excitamur, si cogitemus, nihil DEUM jubere, 5 quod non sit nobis optimum. Amorem autem DEI propter se, seu super omnia, putat Autor esse rem divinam ex gratia particulari proficiscentem, et propriam Christianis. Videtur autem amoris vocabulum sumere paulo generalius, ut sit affectus, qui nos voluntate vel affectu jungat objecto, quod nobis videtur conveniens. Ponit⁵⁶ legem naturae *Hobbianam*, ut pacem quaeramus, ubi licet; sin minus, bello nos paremus. Atque ita juri omnium in omnia esse renunciandum, id est, unumquemque sibi adimere jus alteri in certarum rerum usu resistendi. Caeterum,⁵⁷ neminem obligatum esse statuit ad patiendum mortem, aliosque ingentes dolores, atque ideo reos capitis jussu judicis ligari. Extorta etiam pacta notat servanda esse, ut si quid latroni promissum sit ad vitam redimendam. Sequuntur deinde virtutes et vitia, ex hoc principio pacis collecta. Ubi agit de nostris officis respectu gloriae DEI,⁵⁸ inter alia putat, contra gloriam DEI 15 esse, si quis dicat, DEUM in priore signo res cognoscere quam velle (in quo nescio an non plerosque habiturus sit dissentientes); item DEUM nolle monstra,⁵⁹ sed ex simplicitate legum naturae ad ea ferenda obligari. Negat autem nos obligatos esse lege naturae, aut consideratione divinae gloriae, ad multorum aliorum salutem nostrae vitae jactura conservandam. Libro secundo *Autor* de societate civili agens, ex *Hobbii* doctrina tradit, omnes civitatis personas in 20 unam personam civilem jus suum transferre. Tres autem esse formas Reipublicae simplices, esse et formas ex his mistas. Personam hanc civilem habere absolutam potestatem, non quod ego teneam renunciare juri me defendendi,⁶⁰ sed quod alii juri alios contra Rempublicam defendendi renunciaverint. Summam potestatem ait jus habere doctrinas stabiliendi, (sed non nisi circa res ad mores pertinentes) et in Rebuspublicis mere humanis praescribendi formam 25 cultus divini. Notat autem, non posse Rectoribus limitatam potestatem concedi, quia qui satis virium habeat ad omnes protegendos, habiturus etiam sit satis ad opprimendam libertatem; itaque imperium absolutum esse malum necessarium, et minus nimia libertate. Privatos igitur respectu Principis vel Reipublicae nil proprium habere. Inter diversas Respublicas jus gentium easdem servare regulas jubere, quae locum habent inter privatos in statu naturali. Putat jure a 30 nobis occidi animalia innocua,⁶¹ quia injustitia supponat pacta aut leges; quae ratio forsitan non

⁵⁶ *Am Rand*: p. 412.

⁵⁷ *Am Rand*: p. 414. 415.

⁵⁸ *Am Rand*: p. 425.

⁵⁹ *Am Rand*: p. 432.

⁶⁰ *Am Rand*: p. 452.

⁶¹ *Am Rand*: p. 474.

erit ad omnium palatum.⁶² Collocat crimen laesae Majestatis in declaratione subditi, qua Reipublicae obedientiam neget, eaque ratione hostis fiat. Caeterum laudat Autorem *Tentamentorum Moralium*, qui vol. I. tract. 4. de mediis conservandae pacis inter homines, multa praeclara ab Autore hic praetermissa dixerit. Quae deinde habet de prudentia civili et oeconomica, etsi multa egregia contineant, quia tamen pleraque apud alios recte tradita sunt,⁶³ frustra indicarentur. Felicitatem collocat in satisfactione interna, quam animus recipit ex bono usu rerum, conservationi ipsius aptarum. Alia enim in potestate non esse, adeoque nec laudem aut vituperium mereri. Sub finem ostendit, quanto status civilis sit melior naturali, in quo jus quidem omnibus in omnia sit, sed exitu careat. Libro tertio tractat de scientia morali Christiana. Ubi agit de pacto DEI cum Abrahamo, renovato cum Mose in monte Sinai, Exod. 19. pertinente primum ad Abramidas, deinde ad Israëlitas. Fuisse autem hujus divini juris interpretationem in manu Abrahami et Mosis; post mortem Mosis fuisse apud supremum Sacerdotem, potestate tantum temporali apud Josuam existente: in quo noster ab *Hobbio* recessit, ne quid juri Sacerdotum derogaret. Sub Eli Sacerdote summo, utramque potestatem fuisse unitam, ut et sub Samuele donec Reges fuere constituti, salva potestate spirituali Sacerdotum. Prophetas interim Messiam venturum praedixisse. Is demum, inquit, natus novum DEI foedus cum hominibus percuti fecit, cujus vetus non nisi figura erat. Hoc foedus pertinet ad DEUM Abrahami, sed secundum cultum a Christo praescriptum. DEUS ita colentibus promittit veniam peccatorum, et regnum coelorum. Christum Autor ait praescripsisse obedientiam et fidem: vocationem Christi non imponere legem, sed incredulum jam judicatum esse; scilicet ex peccatis anterioribus contra naturae leges. Ostendit⁶⁴ denique, virtutes Christianas non differre a naturalibus, nisi intentione seu fine, qui non amplius est conservatio temporalis, sed gloria DEI, et salus aeterna. Gloriam autem DEI intelligendam supranaturalem ex attributis revelatis. Potestatem temporalem ipsa Christi autoritate confirmari; spirituales in Ecclesia, id est, Concilio Universali residere. Caeterum sub finem Tomi primi *Autor* specimen Dictionarii adjecit, quo complures Termini ordine Alphabetico breviter exponuntur.

⁶² *Am Rand*: p. 470.

⁶³ *Am Rand*: p. 489.

⁶⁴ *Am Rand*: p. 539.